

## Figurationes, ac significationes, &amp; affectus planetarum.

- ♄ Saturnus sic in similitudinem figuratur, hominis senis incuruati, & falcem habentis, & est humanæ naturæ inimicus, uitam destruens, masculinus, maleuolus, infortuna maior, frigidus, & siccus. Ex membris humanis dextrā aurem, splenem, uesicam. Ex humoribus melancholiā, cum phlegmatis cōmitione, ex coloribus nigredinem habet. Magnitudo corporis eius est. 91. uicibus tantū quantum terra. Quantitas uero orbis & radiorum ipsius ante & retro accipiendo, est graduū nouem. Totum zodiacum circuit in annis. 30. ferè. Anni maximi eiusdem sunt. 465. maiores. 57. medijs. 43. cum dimidio. minores autem. 30.
- ♃ Iupiter ad denotandum triplex eiusdem fulmen ita triplici tractu figuratur. Et est fortuna maior, masculinus, diurnus, calidus & humidus, sanguineus. hepatici, pulmonis, costis, cartilagini, sanguini, & spermati præest. Colorem citrinum seu glaucum, & uiridem habet. Magnitudo corporis eius est. 95, quantum terra. Quantitas orbis eius graduum nouem. Complet cursum suum, in annis. 12. ferè. Anni Iouis maximi sunt. 428. maiores. 79. medijs. 45. cum dimidio. minores uero. 12.
- ♂ Mars belli dominus telo bellico signatur. planeta masculinus, nocturnus, immoderate calidus & siccus, cholericus infortuna minor. Auri sinistrae, uenis, felli, & testiculis prædominans, Choleram ex humoribus, & rubeum ex coloribus tenet. Magnitudo corporis eius quantitatē, terræ semel cum dimidia & octaua parte tenet. Radijs eius gradus octo. Circulationem perficit in annis duobus ferè. Martis anni maximi sunt. 264. maiores. 66. medijs. 40 & dimidium, minores. 15.
- ☉ Sol quoniam Apollinis imago pomum aureum manutinet, eiusdem similitudine, accirculari rotunditate caractizatur. Est etiam lumen & candela cæli, uitam cunctis naturaliter infundens. Et est planeta diurnus, masculinus, moderate calidus & siccus. fortuna per aspectum, infortuna per coniunctionem corporalem. Cerebrum humanum, medullam, neruos, oculum dextrum uiri, ac sinistrum mulieris tuetur. Croceum rubeo mistum colorem tenens. Corpus solare terram centies sexagies sexies, & plus parum continet. Radijs eius gradus quindecim, zodiacum lustrat dierum spatio. 365. & horarum ferè sex. Solis anni maximi sunt. 1460. maiores. 120. medijs. 69. cū dimidio. minores autem. 19.
- ♀ Venus duplicia tela gestans aurea. s. & plumbea, ideo duplici tractu recto figuratur. Et est foemina, nocturna, frigida & humida temperate, phlegmatica, fortuna minor. Lumbos, renes, nates, uentrem, pectinem, & matricem, atq; ex coloribus album declinantem ad uiridem tenet. Quantitas eius est pars una de 37. terræ, totus orbis eius gradus septem. Cursum suum perficit eiusdem curriculum spatio, quo sol ipse signa duodecim peragrat. Anni Veneris maximi sunt. 151. maiores. 82. medijs. 45. minores. 8.
- ☿ Mercurius galero caput opertum, atq; alas pedibus gestans haud dissimili characteris figura designatur, Planeta commistus, masculus cum masculis: foemi-